DE
BERNARDO CARNOTENSI

Paris. — E. de Soye et Fils, imp., pl. du Panthéon, 5.

DE

BERNARDO CARNOTENSI

GRAMMATICO PROFESSORE ET INTERPRETE VIRGILII

DISSERUIT

Mauritius DEMIMUID

IN FACULTATE PARISIENSI JAM LICENCIATUS
AD GRADUM DOCTORIS PROMOVENDUS

LUTETIÆ PARISIORUM

APUD E. THORIN, EDITOREM

VIA DICTA MEDICIS, 7

—

1873

ORNATISSIMO ET HONORATISSIMO VIRO

L. ÉTIENNE,

IN FACULTATE LITTERARUM PARISIENSI

PROFESSORI VICARIO

Opusculum hoc dedicatum voluit

Discipulus memor

M. D.

I

Bernardus, cognomine duplici (1), Carnotensis modo, modo Silvestris dictus, ab æqualibus professor insignis habitus, in numerum tum grammaticorum tum philosophorum, qui prima duodecimi sæculi parte floruerunt, ab omnibus historicis relatus fuit. Quo sit anno natus, quo tempore decesserit, a nemine traditum. Eum tamen ad extremam senectam vixisse suspicari licet, quum a Johanne Parvo « Carnotensis senex » frequenter sit appellatus (2). In celeberrima Carnutum schola diu docuit, grammaticam primum, deinde dialecticam : unde cognomen prius eum traxisse, vix est quod dicam; alterum vero quomodo assumpserit

(1) V. *Hist. litt.*, t. XII, p. 261.

(2) Johan. Saresb., *Policrat.* II, 23, ed. Giles, t. III, p. 124. — VII, 13, t. IV, p. 130. — Id., *Metal.*, I, 12, t. V, p. 32.

nusquam reperi. Docuit autem, ut videtur, majore fama quam emolumento, siquidem fidem faciet nobis Johannes Saresberiensis, dicens « senem Carnotensem in angustiis fortunæ frequentius his verbis uti :

Fata viam invenient (1). »

Hactenus de vita Bernardi. Quibus libris, quanta arte, quantaque doctrina de philosophia scripserit, quorum sectam institutionemque, dum hanc tractaret scientiam, prosecutus sit, fusius a doctis præclarisque viris est expositum (2), quam ut rursus his immoremur. Sed non inter philosophos tantum locum sibi vindicare potest Bernardus, quippe qui omnem fere suam industriam instituendæ litterarum præceptis juventuti impenderit, primasque inter grammaticos hujus temporis, consensu omnium, tenuerit (3). Atqui peculiarem ejus in tradendis litteris rationem

(1) Johan. Saresb., *Metal.* II, 22, p. 124.

(2) Cousin, *Fragments de philosophie du moyen-âge*, p. 265 et sq.; Hauréau, *de la Philosophie scolastique*, t. I, p. 244 et sq.

(3) Eum *grammaticum opulentissimum* vocat Johannes Saresberiensis, *Met.* I, 5, p. 21.

adumbrandam suscepimus. Quod ad absolvendum quæcumque sumus allaturi e duplici fonte hausimus. Johannes enim Saresberiensis, ætate paulo inferior, ita ut inter coævos numerari possit, Bernardi effigiem diligenter expressit pluribus scriptorum locis : quibus in hoc opusculum translatis, grammatici nostri quum persona tum ludus nota satis ac manifesta nobis erunt. Plurimum vero opis et auxilii nobis accessit e codice quodam manuscripto, nondum edito, cujus mentionem fecit ac perpaucos etiam locos eosque brevissimos Fragmentis de philosophia mediæ ætatis inseruit vir clarissimus V. Cousin (1). Cui primo, omnia ad Bernardum pertinentia in bibliotheca Parisiensi pervestiganti, quondam

(1) V. Cousin, *Fragments de philosophie du moyen-âge*, p. 283 et sq. Quo in opere codicem nostrum sic descripsit auctor supradictus : « Dans le manuscrit du fonds de Sorbonne, 526 A, autrefois R, 580 C, in-fol., de plusieurs écritures, toutes du quinzième siècle, parmi un grand nombre d'ouvrages de différents auteurs et sur différents sujets, se trouve au feuillet 38 r°. et à la suite d'un traité de mythologie par lequel commence le volume (*Poetica magistri Alberici*), un fragment d'un commentaire de Bernard de Chartres, sur l'Enéide, qui comprend vint-quatre feuillets et demi. »

occurrit codex iste, *Commentum Bernardi Silvestris super sex libros Æneidos*, inscriptus. Quem quum inter manus haberem, diligenterque et creberrime perlegerem, Bernardum ipsum in schola docentem atque Virgilium coram discipulis interpretantem mihi videbar audire. Præcipuas hujus commentarii partes in hac nostra disceptatione intextas reperiet lector, ita ut, ceteris breviter delineatis, summam rerum totumque operis tenorem facile capiat, nec ambagibus obscuritatum nonnullis obruatur, vel ad salebras asperitatesque, frequentius occurrentes, velut ad scopulos animum offendat. His dictis, propositum opus aggrediamur.

II

Grammatica quidem, quum hanc artem profiteretur Bernardus, ab appellationis suæ paupertate longe provecta, terminis, intra quos hodie consistit, circumscripta et definita minime videbatur. Nam præter littera-

turam, id est recte loquendi rationem, majorum quarumdam artium scientiam amplectebatur, et in eis, auctorum, poetarum præsertim, enarrationem. Quod ægre ferentes nonnulli, subringentesque, teste Johanne Saresberiensi (1), grammaticos alienas partes occupavisse asserebant et suum cuique professioni modum reddendum esse dictitabant. His censoribus opponere posset Johannes veterum Græcorum opinionem et exemplum a quibus, auctore Cornelio Nepote, poetarum interpretes γραμματικοὶ nominabantur. Id refert Suetonius, in festivo illo de illustribus Grammaticis libro, subjiciens primos Romanorum grammaticos et rhetoricam docuisse; eorum consuetudinem, apud posteriores, quamquam jam discretis artibus, obtinuisse; et, se adolescentulo, quemdam, Principem nomine, alternis diebus declamare, alternis disputare, nonnullis vero mane disserere, post meridiem, remoto pulpito, declamare solitum fuisse (2). Istius quidem moris ini-

(1) Saresb., *Metal.*, I, 17, p. 46.
(2) Sueton., *De ill. gram.* IV, ed. Nisard, p. 222.

micum se ostendit Fabius, vir saltem acri et severiore judicio, qui grammaticam sui fontis immemorem dolebat, eamque in proprium alveum reducere conabatur (1); nec ipse tamen hujus artis præceptores ab auctorum prælectionibus depellere contendit, quum duas esse partes scripserit, quas hæc professio pollicetur, scilicet, *rationem loquendi*, *et enarrationem auctorum* (2).

Bernardus igitur, Fabii auctoritate fultus, in explicandis auctoribus toto opere incumbebat, optimamque, Johannis sane judicio, legendi et interpretandi rationem elegerat. Sed Johannem ipsum audiamus : « Sequebatur hunc morem Bernardus Carnotensis, exundantissimus modernis temporibus fons litterarum in Gallia, et in auctorum lectione quid simplex esset, et ad imaginem regulæ positum, ostendebat; figuras grammaticæ, colores rhetoricos, cavillationes sophismatum, et qua parte sui propositæ lectionis articulus respiciebat ad alias disciplinas, proponebat in

(1) Quintilian. *Inst. orat.* II, 1, ed. Nisard, p. 48.
(2) Id., ibid., I, 9, ed. cit., p. 37.

medio : ita autem, ut non in singulis universa doceret, sed pro capacitate audientium, dispensaret eis in tempore doctrinæ mensuram (1). » Nonne via illa docendi mire congruit cum præceptis Quintiliani, qui hoc scripta explanandi genus plus collaturum discentibus arbitratur quam omnes omnium artes; quique grammaticum prælegendo vult explicare vim ac proprietatem cujusque vocis, verborum aut sententiarum elegantiam et acumen annotare, fabularum denique doctam obscuritatem diligenter rimari, non tamen usque ad supervacuum laborem, ne nugis pæne anilibus detineantur puerorum ingenia, melius aliis vacatura (2).

Vestigiis vero Fabii ulterius insistens, ad imitationem Bernardus traducebat discipulos, qui, postquam lectione verborum vim sibi paraverant copiosamque sententiarum supellectilem collegerant, inde tanquam e penu et thesauro sumebant quæque ad scribendum necessaria, et in exemplum intuentes, ad

(1) Saresb., *Metal.*, I, 24, p. 57.
(2) Quint., *Inst. orat.*, I, 8, ed. cit., p. 37.

effingendas ejus virtutes, artem et stilum dirigebant. Dicit enim Johannes : « Quoniam memoria exercitio firmatur, ingeniumque acuitur, ad imitandum ea, quæ audierant, alios admonitionibus, alios flagellis et pœnis urgebat (1). » Qua saltem de castigatione Romanum rhetorem Silvestremqúe nostrum inter se valde discrepare nemo infitias ibit. Nam Fabium quis nescit ab illa consuetudine cædendi pueros longe alienum, ut qui id deforme et servile dicat, et insuper inutile, siquidem « cui tam est mens illiberalis, ut objurgatione non corrigatur, is etiam ad plagas, ut pessima quæque mancipia, durabitur (2)? »

Sed professores nostri, in hoc uno dissentientes, de imitandi ratione modoque idem utrique præcipiebant. Fabius enim id maxime studebat, adolescentes ab illo quem Horatius celeberrimo versu lacessivit servo pecore arcere, imitationem negans per se ipsam sufficere et in ea totam artem contineri, quasi

(1) *Met.*, I, 24, p. 58; Cf. Quint., X, 2, p. 384.
(2) Quint., I, 3, p. 14.

invenire non esset pars cujuscumque disciplinæ vel operis præcipua (1). Non aliter Bernardus, pigri ingenii ratus contentum esse iis quæ sint ab aliis inventa « si quis ad splendorem sui operis, alienum pannum assuerat, deprehensum redarguebat furtum (2) », et corniculam furtivis nudabat coloribus, tota deridente corona.

Ultimo denique quasi concentu atque consensu, idem nostri præceptores profitentur de moribus, quorum cura longe antiquior multoque potior utrique quam studiorum. Igitur ut Quintilianus, sive, quum nutrici aut rhetori tradendus est puer, eorum imprimis inspici mores vult (3); sive, quum agit de lectione auctorum (4), non solum a discipulis quidquid licentius scriptum prorsus amovet ut mores sint in tuto, sed etiam libros requirit honestum aliquid monentes et ad informandam saluberrimis institutis infantium mentem aptos : ita Bernardus, nullum ratus vacare spa-

(1) Id., X, 2, p. 385.
(2) Saresb., *Met.*, I, 24, p. 59.
(3) Quint., I, 1, p. 5 ; II, 2, p. 50.
(4) Id., I, 8, p. 35.

tium temporis oportere a cura fingendi mores, « nec diem aliquem decere esse religionis expertem, eam proponebat materiam, quæ fidem ædificaret et mores, et unde qui convenerant, quasi collatione quadam, animarentur ad bonum (1). »

Nunc, peracta illa Silvestris cum Fabio comparatione, hunc dicendum de litteris bene meritum, quippe qui depravatum scholarum hujusce temporis morem ad meliorem, ut ita dicam, frugem et ad optimam veterum disciplinam revocaverit. Hanc enim studiorum institutionem, omnium proculdubio maxime frugiferam, et fingendis tum ad vitam tum ad litteras adolescentibus perutilem, imo necessariam, e ludis sic tunc pravæ consuetudinis lex abegerat, ut in rebus plerumque frivolis et inanibus operam illi et laborem perderent. Probatissimi siquidem illius ætatis magistri discipulos circa abstrusiora difficilioraque cujusque artis detinere, eorumque memoriam asperioribus præceptis obruere malebant quam, recisis quodommodo spinis

(1) Saresb., *Metal.*, I, 24, p. 58.

et sentibus, ad amœnos eloquentiæ poesisve hortos auditores deducere, et ingenia uberi et jucundo præstantium auctorum succo alere. Liceat autem quædam de studiorum ordine et serie quæ in Academia Catabrigensi, vix instaurata, tunc invaluerant, hic ex vetusta Petri Blesensis epistolarum appendice proferre :

« Ad horam primam Terricus, acutissimus sophista logicam Aristotelis juxta Pophyrii et Averrois Isagogas et Commenta adolescentioribus tradebat. Ad horam vero tertiam frater Willielmus Rhetoricam Tullii Quintilianique flores perorabat. Magister vero Gislebertus omnibus dominicis diebus et sanctorum festis in diversis ecclesiis verbum Dei ad populum prædicans, rudis in Anglicana lingua, sed expeditus et profundus in Latina et Gallicana sua contra judaicum morem maxime disputabat. Ferialibus autem diebus litteratis ac sacerdotibus ad ejus auditorium specialiter confluentibus ante sextam horam textum sacræ paginæ exponebat. Cumque nonnulli increduli et adhuc Judaïca perfidia cæcati ad ejus verba in sinum matris Ecclesiæ,

relicto prius suo errore pristino, compuncti accurrerent et fides Christiana in dies solidior quotidie firmaretur, non modicum commodum eorum industria monasterio affluxit. Ex isto itaque fonte parvo, qui crevit in fluvium jam magnum, videmus nunc lætificatam civitatem Dei et totam Angliam factam frugiferam per plurimos magistros doctoresque de Cantabrigia exeuntes ad similitudinem sanctissimi Paradisi (1). » Non equidem doleo tot horas atque dies in sacris concionibus conteri, quum sentiam præcipuo educationis fructu fraudari pueros, qui saluberrimis Christianæ doctrinæ elementis non imbuantur ; sed quis non miretur, in ista prælectionum enumeratione, solos e Ciceronis libris de rhetorica tractantes recenseri, et poetarum aut oratorum historicorumve nemini locum dari ? Parem etiam rationem in Galliarum ludis tunc tenuisse nos monet Hugo de Sancto-Victore, qui, in primo de Vanitate mundi dialogo, magistrum discipulumque sic colloquentes finxit :

(1) Bulæus, *Hist. univ. Paris*, t. II, p. 28.

« *Docens.* Converte adhuc te ad aliud et vide? — *Interrogans.* Conversus sum, et video. — D. Quid vides? — I. Scholam discentium video. Magna est multitudo, diversas ibi ætates hominum conspicio, pueros, adolescentes, juvenes, senes; diversa quoque studia. Alii ad formanda nova elementa atque voces insolitas edendas rudem adhuc linguam inflectere discunt. Alii verborum inflexiones, compositiones et derivationes, primum audiendo cognoscere, deinde conferendo ad invicem, atque identidem repetendo memoriæ commendare satagunt. Alii ceras stylo exarant. Alii figuras variis modis et diversis coloribus in membranis docta manu calamum ducente designant. Alii autem acriori et ferventiori quodam studio de magnis (ut videtur) negotiis disceptationes quasdam ad invicem exercent, et se quibusdam verborum innexionibus et gryphis vicissim fallere contendunt. Calculantes etiam quosdam ibi video. Alii tensum in ligno nervum percutientes diversorum sonorum melodias proferunt. Alii vero quasdam descriptiones et mensurarum for-

mas explicant. Alii cursus et positiones siderum, et cœli conversionem quibusdam instrumentis manifeste describunt. Alii de natura herbarum, de constitutionibus hominum, de qualitate rerum omnium et virtute pertractant. In his autem omnibus licet non una sit discendi forma, una tamen omnibus est proficiendi voluntas (1). »

Hanc ergo voluntatem ad saniora consilia revocare Bernardus pro virili parte contendebat; nec nullam laboris sui mercedem adeptus videbatur. Nam « ad hujus magistri formam, ut ait Johannes Saresberiensis, præceptores in grammatica, Guillelmus de Conchis, et Ricardus, cognomento Episcopus, officio posthac archidiaconus Constantiensis, vita et conversatione vir bonus, suos discipulos aliquandiu informaverunt (2). » Mox vero gliscenti Cornificii (3) sectæ frustra obstiterunt præstantes illi doctores, nec ipsi

(1) Hugo de S. Victore, *De Vanitate mundi*, lib. I, ed. Migne, t. CLXXVI, col. 709.

(2) Saresb., *Met.*, I, 24, p. 60.

(3) De quo plura dicuntur in altera nostra thesi de Johanne Saresberiensi.

contagionem omnium mentes invadentem effugere potuerunt. Addit enim Johannes : « Postmodum, ex quo opinio veritati præjudicium fecit, et homines videri quam esse philosophi maluerunt, professoresque artium, se totam philosophiam brevius quam triennio aut biennio transfusuros auditoribus pollicebantur, impetu multitudinis imperitæ victi, cesserunt. Exinde autem minus temporis et diligentiæ, in grammaticæ studio impensum est. Ex quo contigit, ut qui omnes artes, tam liberales quam mechanicas, profitentur, nec primam noverint : sine qua frustra quis progredietur ad reliquas (1). » Igitur, ut vulgo accidit, et ipsi qui aliter sentiebant, apud omnes receptæ opinioni cogebantur inviti ac reluctantes velut torrenti cedere.

Quamvis jam plura de Bernardi ingenio et disciplina suspicari liceat ex testimonio Johannis, hunc tamen ipsum producere juvabit coram discipulis sex Virgilii libros explanantem ; præsertim quum eum excitare,

(1) Saresb., *Metal.*, I, 24, p. 60.

ut ita dicam, fas sit, dummodo istum de quo jam dixi manuscriptum codicem evolverimus, magistri docentis velut effigiem præ se ferentem.

III

Exordiens quidem Bernardus id ante omnia præmittit, qua mente et quo ordine enarrationem istam inceperit. « Geminæ, inquit, doctrinæ observationem perpendimus in sola Æneide Maronem habuisse, teste namque Macrobio, qui et veritatem philosophiæ docuit et figmentum poeticum non prætermisit. Si quis vero Æneida legere studuerit ita ut ejusdem voluminis lex deposcit, hæc in primis oportet unde agat et qualiter et cur demonstrare, et geminam observationem in his præmonstrandam non relinquere. Quoniam autem in hoc opere et poeta et philosophus perhibetur esse Virgilius, primo poetæ intentionem et modum agendi et cur agat breviter exponemus. » Ex quibus manifestum est Bernardum cum Evangelo isto mi-

nime consentire, qui, in primo Saturnaliorum libro (1), Maronis vituperator, hunc existimat nihil nisi poeticum animo versare, licet hoc quoque eidem nomen invideat, atque eorum opinionem risu excipit qui Virgilii gloriam nulla laude imparem judicantes, illum etiam philosophis annumerandum profitentur. Illam enim Bernardus non laudat poesim quæ solam voluptatem afferat, lenocinetur legentium animis et, ut sic dicam, inaniter tinniat auribus, sed quæ utiliter præcipiat, quæ saluberrimis cohortationibus mentes roboret atque erigat, ex qua, uno verbo, sanctitas disciplinæ non minus plene quam ex ipsa philosophia, sed magis jucunde percipiatur.

Postquam vero consilium suum sic palam fecit Bernardus, ea quæ in Æneide sunt ficte poeticeque narrata vel, ut ait ipse, « poeticum operis figmentum » leviter adumbrat. In qua saltem parte nemo est qui eum infinitum esse dicat, quum per tanta præstantis-

(1) Macrob., *Saturn.*, I, 24, ed. Nisard. p. 218.

simi poetæ miracula, illotis, ut ita dicam, pedibus percurrat. Satis enim habet illud pueris decantatum et a Macrobio (1) breviter expositum, brevius attingere, quod omne Virgilianum opus velut de quodam Homerici operis speculo formatum est, siquidem Æneis ab Homero sibi mutuata est errorem primum ex Odyssea, deinde ex Iliade pugnas, ac Maro, non historicorum more qui continuam narrationem ab initio rerum ad finem usque perducunt, sed poetica et homerica disciplina, in medias res lectorem rapit, ad initium postea remeaturus. Quæ sic in sermonem proprium transtulit Silvestris noster : « Intendit (Virgilius) casus Æneæ aliorumque Trojanorum pariter exulantium labores evolvere. Itaque hoc non secundum historiæ veritatem quam Phrygius Dares descripsit, sed utique ut Augusti gratiam lucretur, Æneæ facta figmentis extollit. Scribit autem Virgilius, latinorum poetarum maximus, imitando Homerum, græcorum poetarum maximum. Quemadmodum namque ille in Iliade Trojanun

(1) Macrob., *Saturnal.*, V, 2, ed. cit., p. 286.

exitum, in Odyssea vero Ulixis exilium enarrat, ita et iste in secundo libro breviter enarrat Trojæ subversionem, in cæteris autem Æneæ laborem. Notandum est quidem in hoc loco geminum esse narrationis ordinem, naturalem et artificialem. Naturalis est quando narratio secundum rerum et temporum seriem describitur, quo fit dum ordine quo gesta est enarratur, dumque quid tempore primo, quid secundo, quid ultimo gestum sit distinguitur. Hunc ordinem habuerunt Lucanus et Statius. Artificialis vero est quando a media narratione incipimus atque inde ad principium recurrimus. Hoc ordine scribit Terentius atque in hoc opere Virgilius. Tum enim iste foret ordo naturalis si primo excidium Trojæ describeret, atque inde Trojanos in Cretam, a Creta in Siciliam, a Sicilia vero in Libyam deduceret. Primo eos ad Didonem deducit, atque Æneam subversionem Trojanam et cætera quæ passus est enarrantem introducit. » His deinde subjicit grammaticus noster : « Hactenus unde agat et qualiter ostendimus; deinceps cur agat

inspiciamus. Poetarum quidam causa utilitatis, ut satyrici; quidam causa delectationis, ut comœdi; quidam causa utriusque, ut historici. Unde Horatius :

> Aut prodesse volunt aut delectare poetæ,
> Aut simul et jucunda et idonea dicere vitæ (1).

« Ex hóc opere, ex ornatu verborum et figura orationis et ex variis casibus et operibus hominis enarratis quædam habetur declaratio. Si quis vero hæc omnia studeat imitari, maximam scribendi peritiam consequetur; maxima etiam exempla et excitationes aggrediendi honesta et fugiendi illicita per ea quæ narrantur habentur. Est itaque lectorum gemina utilitas : una scribendi peritia, quæ habetur ex imitatione, altera vero recte agendi prudentia, quæ capitur exemplo et exhortatione; verbi gratia, ex laboribus Æneæ tolerantiæ exemplum habemus; ex affectu ejus in Anchisem et Ascanium, pietatis; ex veneratione quam diis exhibebat, et ex oraculis quæ poscebat, ex sacrificiis quæ

(1) *Ars poet.* v. 332

offerebat, ex votis et precibus quas fundebat, quodammodo ad religionem invitamur; per immoderatum vero Didonis amorem ab illicitorum appetitu revocamur. »

Hæc saltem et talia explicans, omnium assensionem Bernardus moveret. Quis enim infitiatur honestæ vitæ disciplinam, quid sit pulchrum, quid turpe, quid utile, quid non, a poetis persæpe plenius et melius quam a Chrysippo et Crantore doceri? Etenim philosophi nonnunquam, severitate vultus et verborum tristitia, molliores hominum mentes deterrent, quas poeta, gratiarum et amœnitatum comitatu stipatus, allicit, domat etiam et excolit, et, quo velit, flexanima illa omniumque regina eloquentia, pertrahit, auctor virtutis eo efficacior, quo ingeniosior, quo blandior. Sed interpres noster, ultra progrediens, quædam edisserit minus communi omnium æstimationi accommodata, quam ut quisque firmo incorruptoque judicio præditus, eum hucusque sequi non recuset.

Quem si audias, Virgilius non ea mente poema condidit suum, ut principis terrarum

populi origines consecraret, atque, miscendo humana divinis, primordia Romæ, rerum pulcherrimæ, augustiora faceret. Minime enim memoriæ suæ gentis consuluit, sed utilitati lectoris, cujus mores ante omnia, pro virili parte, effingere voluit : ideo hoc translationis genere utens quod ἀλληγορίαν Græci appelant, Romani vero *inversionem* interpretantur (1), aliud verbis, aliud sensu ostendit; et quum Æneæ navigantis errores describeret, mentem humanam humanis casibus, a puero, agitatam significare cordi habuit, necnon ætatis cujusque mores et studia, Aristotelis Horatiive exemplo, diligenter notare.

Igitur « omnia, inquit, quæ in prima ætate contingunt, in primo volumine narrantur. » Et alibi : « In primo volumine prima ætas, scilicet infantia, describitur. » Sed operæ pretium erit, præceptoris nostri acris quidem et subtilis vestigiis insistendo, Æneæ nominis originem scrutari. Dicitur « Æneas quasi *Ennos*

(1) Cicero, *Orator*, 27, ed. Nisard, t. I, p. 448; Quintil., *Inst. orat.*, VIII, 6, ed. cit., p. 312.

demas (1), silicet habitator corporis; uti Neptunum vocant Ennosigeum, id est habitatorem Sigei demas. » Istius sane cognominis quod Juvenalis poeta (2) Neptano indidit, dum nativam, ut ita dicam, vim explicare vult Bernardus noster, opinioni apud omnes receptæ minime consonare nobis videtur (3). Sed his ne immoremur. Id tantum modo animo fixum teneamus, Æneam humanam mentem esse corpore inclusam. Corpus vero, quid? « Mare corpus humanum intelligitur, quod per ebrietates et libidines, quas per aquas intelligimus, ab eo defluunt et in eo commotiones vitiorum sunt. » Mox naves Æneæ speciem ei præbent corporis sensuum quos septem annumerandos existimat. « Cum septem navibus Æneas evadit (4). Septem naves intelligimus esse septem voluntates Æneæ. Ubique enim per naves accipimus

(1) « *Ennos*, habitator. » Ducange, t. III, col. 87. — « *Dema*, corpus ab indeclinabili δέμας, quod idem est apud poetas græcos. » Id. t. II, col. 1390.

(2) Juvenal, *Sat.* X, v. 182.

(3) Ennosigæus, a græco Ἐννοσίγαιος, hoc est ὁ ἐνόθων, quatiens, movens, τὴν γαῖαν

(4) *Æneid.*, I, v. 170.

voluntates, quæ diversa ferunt. Prima navis est voluntas videndi; secunda, voluntas audiendi; tertia, voluntas gustandi; quarta, olfaciendi; quinta, tangendi; sexta, voluntas movendi; septima, voluntas faciendi. » Nunc ecce membra corporis : « Videt socios Æneas, tectus nube, et non videtur ab eis, nec alloquitur eos (1). Æneam qui comitantur sunt et ipsa corpora et membra corporis. Ducit enim quo vult spiritus membra corporis. Hos socios videt et non videtur ab eis; spiritus enim corpora sentit; corpora vero nequicquam spiritum. Æneas non alloquitur eos; id est, nec revocat membra a turpibus nec propellit ad honesta. »

Atqui Æneas, id est mens humana sociata corpori, vitam ingreditur vel littori Libyco appelit. « Tectus Carthaginem venit (2); quæ nubes coruscationem (id est meridiem) abscondit. Ita, ignorata sapientia, venit ad Carthaginem, scilicet ad novam civitatem mundi, quæ quidem civitas est omnes in se habens

(1) *Æneid.*, I, v. 509.
(2) Ibidem, I, v. 418.

habitatores. In hac civitate regnum habet Dido, scilicet libido. Hæc civitas nova est Æneæ, qui nuper in eam illatus est; quia tunc novus est ei mundus et ipse in nube est, id est ignorantia, nec naturam mundanorum intelligit. Ideo hæc illi placent et in eis admirationem habet, atque oculos et sensus saturat in picturis, scilicet mundanis bonis (1). Per sensus enim, quorum quidam bonus, quidam falsus est, intelligimus oculos quorum quidam dexter, alter sinister. Per picturas vero, mundana, quæ ideo picturæ dicuntur, quia bona non sunt sed videntur, et ideo Boetius imagines veri boni ea vocat. In hac civitate invenit regnantem mulierem super Pœnos, quoniam, in mundo isto, talis est confusio, quod imperat libido et opprimuntur virtutes, quas per Pœnos, fortes et rigidos viros, intelligimus, atque ita servit virtus atque imperat libido. Ideo in divinis libris, dicitur mundus Babylonis civitas, id est confusionis. »

Hæc de primo Æneidos libro, id est de

(1) *Æneid.*, I, v. 394

priore hominis ætate. Sed jam paulatim accrescere puer, et exire de gremio, ac loqui incipit : secundum igitur adimus Virgiliani operis librum. « In hoc volumine secundo, secundæ ætatis, id est pueritiæ, natura describitur. Infantia est illa pars humanæ vitæ, quæ est a nativitate usque dum homo naturaliter loquatur. Pueritia vero est hæc pars vitæ humanæ, quæ incipit ex quo homo incipit esse sub disciplina custodiæ, et protenditur quousque a custodia exeat. In hoc maximum est distantia infantiæ et pueritiæ, quod infantes non loquuntur, pueri vero naturaliter loqui possunt. Ideo nihil aliud in hoc volumine figuratur nisi initium et possibilitas loquendi. Per hoc enim quod ad narrandas historias, jussu Didonis, prohortatur, nihil aliud demonstratur nisi quod ad proferenda verba sua eum voluntas, manifestari volens, hortatur. Cui satisfaciens, in verba prorumpit. »

Nonne miraris tam magna Bernardum tanta brevitate enarrantem, ut arctari magis et contrahi brevitas ipsa non possit? Ecce pau-

cissimis verbis fontem lacrimarum et quasi torrentem, quo poeta cladem illius noctis et funera æquare contendit, hausit, ut ita dicam, grammaticus et absorpsit. Tum Æneam, fato profugum, sequitur, tertiumque Æneidos librum explanandum suscipit; in quo libro « natura adolescentiæ exprimitur. » Sed littora et campos ubi Troja fuit, soluta ancora, relinquentem,

Respectare juvat vicinam sæpius urbem,
Et montes visu deficiente sequi (1).

Ait enim : « Civitas Æneæ est corpus humanum, quod humanus spiritus incolit et regit : ideoque ejus civitas dicitur. Item in civitate illa sunt mansiones diversæ et hominum ordines, mansiones illas incolentes. Ita quodammodo in humano corpore, sunt mansiones et potentiæ, in illo sedem habentes. Prima civitatis mansio est arx, quam sapientes incolunt. Itaque in corpore humano, prima et eminentior mansio et arx corporis est caput, in quo sapientia sedem habet.

(1) Rutilius, *Itiner.* v. 189, ed. Nisard, p. 761.

Secunda civitatis mansio est militum. Ita secunda corporis est mansio animositatis in corde. Tertia civitatis mansio est mansio cupedinariorum. Ita tertia in corpore mansio est cupiditatis ; hæc autem est de renibus. In ultimo civitatis est suburbium, sedes agricolarum. Ita in extremo corporis sunt manus et pedes ad agendum. Ideoque civitas corpus dicitur. Hujus civitatis incendium est primæ ætatis fervor naturalis, quo relicto, vertitur in Antandron. » In illo igitur libro, Æneas vel potius mens humana novum corpus induere videtur ; siquidem in primo, mare corporis imaginem referebat, hic vero Trojana civitas. Quæ quomodo inter se congruant, dicat qui possit.

Æneas, eversa Troja, collectisque suorum reliquiis, apud Antandrum classem parat (1). « Andros ergo *vir* latine dicitur ; anti vero *contra*. Antandros est contrarium virilitatis. Virilitas quidem proprie dicitur constantia, quasi viri qualitas. Propria enim est naturaliter virorum hæc qualitas ; neque

(1) *Æneid*, III, v. 4.

enim puer nec juvenis nec senex, qui ad puerilem proprie redit naturam, constantiam habent naturalem. De puero enim dicit Horatius :

> . . . . Iram
> Colligit ac ponit temere, mutatur in horas (1).

« De juvene :

> . . . Amata relinquere pernix (2).

« Quod vero viri sit constantia, testatur idem :

> Commisisse cavet, quod mox mutare laboret (3).

« Itaque virilitas, id est viri qualitas est constantia. Antandros etiam, id est contrarium virilitatis, est inconstantia. Hoc autem est primum adolescentiæ vitium. Quod enim adolescentes usum rerum et experientiam non habuerunt, ideo unamquamque rem cernentes eam optimam credunt. Dumque eam talem qualem credebant esse non inveniunt, statim ad aliam transeunt. Viri autem illi qui

(1) *Ars. poet.*, v. 159.
(2) Ibid., v. 165.
(3) Ibid., v. 168.

experientia res agnoverunt, ideo in re cui adhærent stabilitatem animi habent. Itaque venit Æneas ab incendio civitatis in Antandron, id est a naturali fervore primæ ætatis, quæ corpus incendit in inconstantiam adolescentiæ. » Lectorem fortasse non fugit navibus, auctore Bernardo, varias Æneæ « voluntates » significari. Quæ naves « in Antandro fiunt, quia, in inconstantia, variæ et infinitæ voluntates veniunt. Constantes namque spiritus, quamdiu constantes sunt, eadem volunt. Inconstantes autem modo hoc, modo illud, modo aliud quærunt, uti ait Horatius : Non

.... Eadem possunt horam durare probantes (1).

« Idem de inconstante dicit :

Quod petiit, spernit; repetit, quod nuper omisit (2).

. . . .

Diruit, ædificat, mutat quadrata rotundis (3) :

« Ita fiunt classes, scilicet voluntatum multitudines in Antandro. Ida (4) est civita-

(1) *Epist.*, I, I, v. 82.
(2) Ibid., v. 98.
(3) Ibid., v. 100.
(4) *Æneid.*, III, v. 5.

tis Trojanæ silva, de qua naves fiunt. Ida, scilicet pulchritudo (1). Hæc autem dicitur silva civitatis, quia pulchritudo formæ corpus obumbrat ne fœditas interior appareat. De Ida autem naves fiunt, quia de pulchritudine rerum voluntates appetentiæ veniunt. »

Exstructis tandem navibus et in altum provectis, Æneas cum sociis in Thraciam primum defertur (2). « Avaritiam per Thraciam intelligimus, quia avarissimos habitatores et avarissimum regem habuit. Quam merito per Thraciam intelligimus, de qua, in hoc libro, dicitur :

. . . fuge litus avarum (3).

« In hanc tamen it ab Antandro, id est ab inconstantia in avaritiam venitur. Unde Horatius, postquam reprehendit de inconstantia, statim ad avaritiam transit. Ab inconstantia enim sic venitur ad avaritiam. Postquam inconstantia diversa perlustravit et omnia con-

(1) Εἶδος.
(2) *Æneid.*, III, v. 13.
(3) Ibidem, III. v. 44.

templavit, videt per divitias omnia temporalia posse acquiri. Quia genus et formam regina pecunia donat, atque ideo inquirendis divitiis totus inhiat, et tanto studiosius eas quærit quanto omnibus aliis perlustratis eas perelegit. Itaque ab Antandro fit transitus in Thraciam. »

Cujusnam vero ope Æneas, in adolescentiam, nimis idoneam deliciis ætatem, provectus, hæc vitia, velut syrtes, effugiet? Jam Polydorum audivimus, exsulem sic alloquentem :

Heu! fuge crudeles terras, fuge litus avarum.

« Polydorus autem multa amaritudo interpretatur. Doris enim græce, amaritudo latine. Unde in fabulis legitur Dorim esse maximam deam, qua amaritudo, in aquis marinis, fingitur. Hanc interpretationem exponit Virgilius dicens :

Doris amara suam non intermisceat undam (1).

« Hic Polydorus in Thracia sepultus est,

(1) *Bucol.* Eclog. X, v. 5.

quasi multa amaritudo in avaritia involuta esset. Qui enim avarus est, quærit opes, et inventis, miser abstinet et timet uti. Hic autem Polydorus fugat Æneam a Thracia, quasi amaritudo et labor quærendi res et conservandi pecuniam sæpe abstinet a quærendo pecuniam. Videns namque spiritus nobilis tantarum sollicitudinum amaritudinem inesse avaris, abrenuntiat et immundum avaritiæ vitium abhorret dicens :

. . . . . . Nunc, nunc impensius unge,
Unge, puer, caules. Mihi festa luce coquatur
Urtica, et fissa fumosum sinciput aure :
Ut tuus iste nepos olim, satur anseris extis(1). »

. . . .

Æneas, avaritia superata, avehitur Delum (2). « Per hanc intellige honestam vitam, quæ Delos, scilicet claritas dicitur, quia nihil clarius in hac vita. » Mox, oraculo ductus perperam interpretato (3), in Cretam contendit, unde, in somnis monitus a diis Penatibus (4) ut insulam relinquat, petit

(1) Persius, *Sat.*, VI, v. 68.
(2) *Æneid.*, III, v. 73.
(3) Ibid., III, v. 103.
(4) Ibid., v. 147.

Italiam. Sed, exorta tempestate, ad Strophades insulas appellit (1). Quæ omnia leviter attingit Bernardus et subtilius æquo interpretatur. Sed Andromachen expectas, falsi Simoentis ad undam, Hectoris cineri libantem (2). Quid vero? Ne Epiri quidem mentionem fecit grammaticus noster. Recta pergit in Siciliam. Hic quodammodo assidens et attente cuncta oculis perlustrans, « videt Cyclopes (3). *Cyclopes* dicitur quasi *cyclops polis*, id est circulorum pluralitas, quam intelligimus esse gyrum tentationum, quas patiuntur adolescentes. Videt Ætnam, Polyphemum, cujus oculum Ulixes effodit, et Achemenidem, quem ibi reliquit Ulixes. Ætna est mons ignicomus, altus, in mari superpositus. Per montem elatio designatur. Per hoc quod est mons intus flammis plenus, et intus illis editur, et foris illis vicina comburit, figuratur elationem intus iracundiæ inflatam, ipso ardore consumi, et exterius

(1) Ibid., v. 209.
(2) Ibid., v. 302.
(3) Ibid., v. 570 et sq.

nos ardore eodem afficere. In hoc monte est Polyphemus. Polyphemum, quasi *polemounta phemen*, id est prædantem famam, intelligimus esse superbum. Nemo enim tantæ virtutis est, quam, statim ex quo superbit, famam suæ virtutis non merito perdit. Monoculus est. Duos omnes homines oculos habent, id est considerationem æternorum et temporalium. Superbus vero considerationem habet temporalium. Achemenides dicitur, quasi Acharimenes, id est sine gaudio. Animi est tristitia, quam, oculo effosso, Ulixes reliquit. Veniens Æneas ad Ætnam, Achemenidem recipit. Spiritus enim adolescentis ad elationem veniens tristiam recipit. Dolet enim quum aliquis sibi obstat, qui jura negat sibi nata, et nihil non arrogat armis. Sepelit patrem in Drepano (1). Drepanum quasi Drimus (2) puer, id est acerbitas puerilis, interpretatur. Quod est iracundia, quæ pueros per nimium fervorem solet maxime infestare. In iracundia primum sepelitur,

(1) *Æneid.*, III, v. 720.
(2) Δριμύς.

scilicet oblivioni Deus datur. Iracundi enim pæne apostatant. Sepultura quædam oblivio est. »

Postquam vero Æneas uno addito versu :

Hinc me digressum vestris deus appulit oris (1),

loquendi finem fecit, rursus poeta ex persona sua Dardanium ducem, quondam invictum fatis, nunc amore saucium, languore inutili, neglectis deorum promissis, marcescentem narrat. « In hoc quarto volumine, natura juventutis exprimitur. Per hoc enim quod, data patri sepultura, venatum itur (2), quid aliud designatur, quam quod, obliviscens creatoris sui, in venatu et cæteris occupationibus vanis occupatur, quod in juventute contingit? Ut in Horatio legis :

Imberbis juvenis, tandem custode remoto,
Gaudet equis canibusque, et aprici gramine campi (3).

« Tempestatibus et pluviis ad cavernam compellitur (4), id est commotionibus carnis

(1) *Æneid*, III, v. 715.
(2) Ibid., IV, v. 129.
(3) *Ars. poet.*, v. 161
(4) *Æneid.*, IV, v. 265.

et affluentia humoris, ex ciborum et potuum superfluitate provenientis, ad immunditiam carnis et libidinis ducitur. Quæ immunditia carnis cavea dicitur, quæ serenitatem mentis et discretionis obnubilat. » Hanc interpretationem eo usque producit Bernardus, ut eum deserere necesse habeamus, ne quædam liberius dicta legentis aures offendant. Quæ tamen, pravitatem minime, simplicitatem vero tantum redolent animi incauti atque mundi, cui munda omnia sunt et verecunda. Sed nobis Quintilianum illud memoria tenendum : « Horatium in quibusdam nolim interpretari ; » et, amputatis nonnullis, ad ea quæ sequuntur protinus deveniendum : « Tandem post longam remansionem movetur a Mercurio Æneas ut discedat (1). Hic movet et increpat Æneam, quia invenit eum ad utile propositum non respicientem, qui est :

> Utilium tardus provisor, prodigus..... (2).

« Increpat Mercurius Æneam. Consilio illius

(1) *Æneid.*, IV, v. 265.
(2) Horat. *Ars. poet.*, v. 164.

censoris discedit a Didone et desuescit. Sed a libidine Dido deserta emoritur et in cineres ex vita demigrat (1). Desueta enim libido desinit et, fervore virilitatis consumpta, in favillas, id est in solas cogitationes transit. »

Excipit juventutem stata ætas ac virilis, « de cujus natura in quinto libro incipitur. » Hic mutatur animus, veluti ab adolescentiæ caligine emissus ; tunc primum solet de anteactis erroribus severiori censura judicare, suis desideriis imperare, sectarique honestum, cujus vim atque naturam in quatuor locos, philosophorum disciplina, dividens Bernardus, eosdem ludis, ad tumulum Anchisæ patris ab Ænea institutis, fictos ac simulatos subtiliter suo more existimat. « Quatuor certamina ad honorem patris celebrat qui, demissa juvenili luxuria, quatuor virtutum exercitia in virili ætate Deo immolat. Per moderationem (2) (quo verbo navale certamen, ut videtur, designat) namque accipimus temperantiam, quæ est moderatrix voluntatum.

(1) *Æneid.*, IV, v. 663.
(2) Ibid., V, v. 114.

Præcedit autem hoc certamen, quod in assequendis virtutibus priorem homini oportet esse moderationem. Hæc enim est quæ vitia cohibet, quæ quodammodo præcedit alias virtutes. Est enim temperantia rationis in libidinem atque in alios motus animi dominatio. Per certamen cæstuum (1), quod plumbi massa geritur, accipe fortitudinem, qua pondus laboris profertur. Est enim fortitudo considerata susceptio et laborum perpessio. Per cursum vero (2), equestrem vel pedestrem, quo equorum vel hominis velocitas deprehenditur, accipe prudentiam, qua rerum instabilium cursus et instabilitas agnoscitur. Item in cursu, quidam videntur sequentes, quidam fugientes. Ita et prudentia discernitur quæ sint sequenda, quæ fugienda. Est enim prudentia bonarum rerum et malarum utraque discretio. Per certamen in quo spicula eminus mittuntur (3), intellige justitiam, per quam nociva longe removentur. Est namque

(1) *Æneid.*, v, v. 362.
(2) Ibid., v. 286.
(3) Ibid., v. 485.

justitia virtus suam cuique tribuens dignitatem. »

Verum interea juvenem sic oculatum ex cæco, stabilem ex vago, sapientem ex temerario fieri ægre ferunt Vitia Cupidinesque; quem igitur insidiis petere et a recto itinere deterrere parant. « Comburuntur naves (1); et dum hæc certamina fiunt, Trojanæ classis, instigante inimica Iri, mulieres naves quasdam incendunt. Atque dum in his virtutibus spiritus exercetur, carnis fragilitates, id est Trojanæ mulieres, Æneæ familiaritatem et consortium abjicientes, voluntates honestas (id est naves, ut est antea fusius explicatum) ardore libidinis violare præsumunt. Iri suadente hæc fiunt. Per Irim diversicolorem et soli oppositam figuratur sensus, qui quidem in diversis speciebus et potentiis est distinctus et rationi contrapositus. Habet enim sensus novem potentias; sunt : percipiendi formam, colorem, amaritudinem, percipiendi dulcedinem, percipiendi asperitatem, percipiendi

(1) *Æneid.*, v, v. 604.

lenitatem, percipiendi spissitudinem, percipiendi tenuitatem, percipiendi canorum concentum vel discordiam. »

Trojanæ mulieres quatuor comburunt naves; cæteræ, pluvia subito ab Jove immissa, servantur (1). Nocte sequenti, Æneas in somnis ab Anchise admonetur ut naviget in Italiam (2), ibique sibyllæ antrum adeat, eum in campos Elysios deducturæ. « Movetur imagine patris ad inferos descendere, visurus parentem ibi; scilicet movetur ut ad mundana per cognitionem descendat; ibique videbit patrem qui, quamvis in creaturis non sit, cognitione tamen creaturarum cognoscitur. Ideoque jubetur apud inferos quærere parentem, licet celsa inhabitet. »

Jam ad sextum pervenimus librum, quo descensus ille ad inferos celeberrimus inducitur. « Descensus autem ad inferos quadrifarius est: Est autem unus naturæ, alius virtutis, tertius vitii, quartus artificii. Naturalis est nativitas hominis. Ea enim naturaliter in-

(1) *Æneid.*, v, v. 699.
(2) Ibid., v. 721.

cipit anima esse in hac caduca regione, atque ita inferis descendere, atque ita a divinitate sua recedere et paulatim in vitium declinare et carnis voluptatibus assentire. Est autem alius virtutis, qui fit dum sapiens aliquis ad mundana per considerationem descendit, non ut in eis intentionem ponat, sed ut eorum cognita fragilitate, eis abjectis ad invisibilia penitus se convertat, et naturalium cognitione, Creatorem evidentius cognoscat. Secundum hoc Orpheus et Hercules, qui sapientes dicti sunt, descenderunt. Est vero tertius vitii, qui vulgaris est, quia ad temporalia devenit, itaque intentio tota in eis ponitur, eisque tota mente servitur, nec ab eis animus amplius dimovetur. Taliter Eurydicem legimus descendisse : hic autem irremediabilis est. Quartus vero artificialis est quod nigromanticus (1), cum aliquo artificio nigromantico, dæmonum petit colloquium eosque de futura consulit vita. » Ex his quatuor viis ad inferos tendentibus, dat se in secundam Æneas, ut qui scientiæ vivide

(1) V. Ducange, t. IV, col. 1185.

appetens atque avidus, ad hanc, ingenio acri summaque animi et virium contentione, accedat. Et primum « Triviæ lucos » (1) adit. « Eloquentia est studium formans suum lectorem ad congruam cognitorum prolationem. Hæc autem Trivia dicitur, quia tribus artibus quasi tribus viis ad eam incedimus. Ut autem perfecta habeatur eloquentia, primo oportet scire loqui absque solœcismo et barbarismo. Deinde sic loquendo oportet scire aliquid probare vel improbare, quod fit per dialecticam. Oportet adhuc dissuadere vel persuadere. Possunt enim auditores, grammatica adjuvante, aliquid intelligere, dialectica probare, de eodem certi esse, et tamen illud nolle. Ideo dicitur rhetorica persuasio. Itaque est grammatica initium eloquentiæ, dialectica dicitur provectus, rhetorica perfectio. Atque ideo dicitur eloquentia Trivia. Nemora vero ejus, in quibus ea colitur, sunt illæ artes vel libri in quibus hæc scientia docetur. »

Hic ante sistendum ducimus, quam charta

(1) *Æneid.*, VI, v. 13.

desit nobis. Nec enim ultra progredi operæ pretium, quum totam interpretis nostri rationem amplexi simus, nihilque postea, indagantibus nobis obviam esset, quod utilitatis quiddam afferret, vel fastidium, subobscura quadam subtilitate, non moveret; quum præsertim grammaticus ipse finem scribendi mox sit facturus, hoc uno poetæ suo similis, quod operi extrema manus non accesserit. Nam explicato hocce versu :

Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit (1),

legitur in codice : *expliciunt glosulæ* (2) *Æneidos*; ita ut de explanatione ista Virgilii, Virgilianum illud pronunciari possit :

« Pendent opera interrupta (3)... »

IV

Nonne ea, quæ de singulari isto scripto retulimus, Silvestris nomini quodammodo

(1) *Æneid.*, VI, 636.
(2) V. Ducange, t. III, col. 912, 913.
(3) *Æneid.*, IV, 88.

officiunt, et laudi, qua, auctore Johanne Parvo, cumulatus fuerat, tenebras, ut ita dicam, nonnullas obducunt? — Esto; plura hic inepta et absona jure reprehendas, quæ a turbida somniantis et delirantis mente, minime vero a sano firmoque callidi Virgilianarum virtutum æstimatoris judicio, fluxisse videantur. Ne credas vero Bernardum nonnisi ea quæ legimus vel talia, quum auctores explicaret, tradidisse discipulis. Scriptum enim illud ineditum non est opus perfectum omnibusque numeris absolutum, sed quasi capita rerum et enarrationis commentarium paulo plenius, quo utens dum doceret ad subsidium memoriæ, Bernardus plurima ex tempore addebat, id præsertim, teste Johanne Saresberiensi, « infigens animis, quæ in œconomia virtus; quæ in decore rerum, quæ in verbis laudanda; ubi tenuitas et quasi macies sermonis, ubi copia probabilis, ubi excedens, ubi omnium modus (1). »

Id insuper animadvertendum censeo, hæc omnia in Bernardo improbata non tam ip-

(1) Saresb., *Metal.*, I, 24, p. 59.

sius esse quam temporis vitia. Etenim Virgilium, illa ætate, apud eruditos, in manibus fuisse et mentibus hæsisse pæne recentem compertum nobis est (1). Sed discipulis nonnisi fucata et adulterata poetæ præbebatur effigies. Cujus versus quotidie in sensus inauditos detorquebantur (2). Et illud sane Bernardo laudi dandum judicamus, quod nusquam Virgilium theologis prophetisve annumerandum censuerit neque ejus effata ad tuendam christianam fidem adhibuerit.

Quid vero? ut Virgilium nimis philosophantem animo sibi effingeret, veterum ipsorum exemplo adduci potuit. Nonne imperator Alexander Severus, Lampridio auctore, Virgilium ipsum Platonem poetarum vocabat (3)? Nonne dixit Macrobius inter omnia, quibus eminebat laus Maronis, hoc se præsertim ad-

(1) Fr. Michel, *Quæ vices quæque mutationes et Virgilium ipsum et ejus carmina per mediam ætatem exceperint*, p. 48.

(2) Id., ibid., p. 61; Cf. Rossignol, *Virgile et Constantin le Grand*, necnon Sainte-Beuve, *Portraits littéraires*, t. III, p. 45, Vid. etiam Edelestand Duméril, *Mélanges archéologiques*, p. 425, *de Virgile l'Enchanteur*.

(3) Ælius Lamprid. *Alex. Severus*, 30, ed. Nisard, p. 465.

mirari, quia doctissime philosophorum disciplinas, tanquam eas professus, in multa et varia operis parte servaverit (1)? Nec multum abest quin asseram Macrobium, si hunc de Virgilio disceptantem cum Bernardo conferas, paulo ridiculiorem in nonnullis ex ista comparatione evasurum. Hunc forsan Virgilianum de Hernicis populis versum :

. . . . . Vestigia nuda sinistri
Instituere pedis : crudus tegit altera pero (2),

sæpius legisti nec admirans nec improbans. Hic vero, si Macrobio credas, valde mirari est poetæ occultissimam diligentiam, eumque non scrupulose modo et anxie sed dissimulanter et quasi clanculo doctum. Qui quum, in Euripidis tragœdia quæ Meleager inscribitur, nuntium quemdam sic loquentem audivisset :

οἱ δὲ Θεστίου
Παῖδες τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδὸς,
Τὸν δ'ἐν πεδίλοις, ὡς ἐλαφρίζον γόνυ
Ἔχοιεν, ὃς δὴ πᾶσιν Αἰτολοῖς νόμος,

morem, quem de Ætolia legerat, Hernicis

(1) Macrob., *Saturnal.*, I, 24, ed. cit., p. 218 et sq.
(2) *Æneid.*, VII, v. 689.

callide arguteque assignavit, qui sunt vetus colonia Pelasgorum. « Animadvertis, inquit Macrobius, diligentissime verba Euripidis a Marone servata? ait enim ille :

Τὸ λαιὸν ἴχνος ἀνάρβυλοι ποδός,

et eumdem pedem nudum Virgilium quoque dixit :

. . . . . Vestigia nuda sinistri
Instituere pedis. . . . .

In qua quidem re, quo vobis studium nostrum magis comprobetur, non reticebimus rem paucissimis notam : reprehensum Euripidem ab Aristotele, qui ignorantiam istud Euripidis fuisse contendit : Ætolos enim non lævum pedem habere nudum, sed dextrum... Cum hæc ita sint, videtis tamen Virgilium Euripide auctore quam Aristotele uti maluisse. Nam ut hæc ignoraverit vir tam anxie doctus, minime crediderim. Jure autem prætulit Euripidem. Est enim ingens ei cum græcarum tragœdiarum scriptoribus familiaritas : quod vel ex præcedentibus licet, vel ex his, quæ mox dicentur, opinari (1). » His vero perlec-

(1) Macrob., *Saturnal*, V, 18, ed. Nisard, p. 330.

tis, nonne Bernardus pæne excusatus abibit?

Velles tamen eum a Macrobio, quemadmodum sententiarum insolentiam, ita et elegantiam sermonis mutuatum fuisse : tantum enim ab illo defluxit quantum ille ab antiquis descenderat. Rudis ejus et incompta oratio, non in isto solum de quo disseruimus commentario, sed etiam in scriptis ad philosophiam pertinentibus, ubi, tetricus ut ita dicam magister, præcepta tradit sermone quodam agresti atque horrido. Idem carmina plura condidit, minime vero Virgiliano more, quanquam assiduus Maronis et lector et interpres; et nobiscum facit Johannes Saresberiensis, Bernardi quidem coævus, scriptor tamen diligens et excultus, qui, quosdam illius versus in Policratico suo inserens, seipsum declarat « sensum approbare, licet metri suavitate non capiatur (1). »

Jam ad calcem, ut dicitur, hujus opusculi pervenimus : hic tamen, etiamsi ad

(1) Saresb. *Policrat.*, VII, 13, ed. Giles, t. IV, p. 130.

carceres lectorem revocare videbimur, perpauca addemus ad primas codicis nostri spectantia paginas, quibus, de physicis disputans Silvestris, imitatorem se præbuit veterum solertem parum et imprudentem. Veteres vero nemo nescit physicæ disciplinæ penitus ignaros fuisse, naturæque speculatores quam imperitissimos (1). Atqui Bernardus terræ tremores ventis imputandos non dubium arbitratur : « Quemadmodum, inquit, in humano corpore sunt arteriæ, per quas anhelitus per corpus ineat ; ita in terra sunt cavernæ per quas aer intrat. Quæ cavernæ si magnæ sunt, multum in se aeris rapiunt. Quæ vis aeris quum aliquam solidam materiam offendit, quam ea obstante, erumpere nequit, quia ipse aer mobilis stare non potest, cum ea confligit et ex violentia impulsus terram concutit : qui terræ tremor tamdiu durat quousque vel retro ille aer redeat, vel emissus erumpat : atque ita Juno terræ tremorem mittit. » Quæ, mutatis paucissimis,

(1) De quo vide Martha, *le Poëme de Lucrèce*, c. VII, p. 243 et sq.

in Plinii (1), Senecæ (2) et Gellii (3) libris invenies, qui quidem, utpote sagaciores, modestius cautiusque sententiam suam proferunt, remque arbitrio cujusque existimandam relinquunt (4).

Ne vero crimini sit Bernardo, veteres admiratione laudibusque prosecutum fuisse ; hunc contra, priusquam ab eo discedamus, de litteris bene meritum profiteamur, qui antiqua exemplaria assidue versavit et coram discipulis constanter enarravit, utinam sua admiratione, alieno vero judicio ; quique debitam illis gratiam memori mente persolvit, faceta quadam et lepida similitudine significans veteres plurimum nobis contulisse. Dicebat enim « nos esse quasi nanos, gigantium humeris insidentes, ut possimus plura eis et remotiora videre, non utique proprii visus acumine, aut eminentia corporis, sed quia

(1) Plin., *Hist. nat.*, II, 81, ed. Nisard, t. I, p. 137.

(2) Senec., *Quæst. nat.*, VI, 4-8, ed. Nisard, p. 148 et sq.

(3) Gell., *Noct. att.*, II, 28, ed. Nisard, p. 480.

(4) Plin., loc. cit.

in altum subvehimur et extollimur magnitudine gigantea (1). »

(1) Saresb., *Metal.*, III, 4, p. 131.

Vidi ac perlegi
Lutetiæ Parisiorum, in Sorbona,
A. D. VIII Id. Dec. ann. MDCCCLXXII,
Facultatis litterarum in Academia
Parisiensi Decanus,

PATIN.

Typis mandetur,
Academiæ Parisiensis rector,

A. MOURIER.

INDEX.